



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De tumultu Constantinopoli ab Arianis concitato. Cap. XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

**E**odem tēporis momento, quo Imperator ad hoc bellum faciendum omni studio incumberebat, Constantinopoli ab Arianis tumultus tali de causa commotus est. Solent homines de rebus quas non norunt, sermones nonnunquam confingere: & si quando fuerint occasionem nacti, rumores, de rebus, quarū cupiditate ducuntur, multò maximos excitant, utpote perpetuo rerum nouarum appetētes. Quod quidem in ea ciuitate tū vsu venit. Nam de bello, quod longè ab illis gerebatur, alius aliud commentus, rumore de eo dissipauit, spem scilicet animo cōspiciens belli euentum Imperatori indies minus prospere successurum. Etenim quamuis in bello adhuc nihil esset confectum, tamen illi res, quas non norunt, iuxta ac si easdem oculis aspexissent, narrarunt, dixeruntq; tyrannum copias Imperatoris profligasse, hunc, & illum militum numerum in pugna cecidisse: atq; adeo ipsum Imperatorē à tyranno propemodum captum fuisse. Ariani itaque graui tum animi perturbatione cōmoti (discrutiabātur enim, ecclesias intra urbem ab illis, quos ipsi antea persecuti fuerant occupatos) varios rumores disseminarunt. Et quoniā alia quaedam diuersa ab illis, quæ narrabantur, eos etiam qui rumorū erant authores, ad credendum ita induxerunt, ut ea, quæ ipsi confinxerant, nō conficta, sed vera esse putarēt (nam alij qui ea auditione acceperant, ipsis rumorū authoribus confirmabant, non aliter habere, atque ab illis audiuerant) Ariani idcirco animis de integro confidere, facinus aggredi, Nectarij Episcopi domum, iniectis facibus, incendio vastare cōeperunt. Hæc gesta sunt ad secundum consulatum Theodosij, Cynegeij autem primum.

*De Imperatoris Theodosij victoria, & prostrato tyranno.* CAP. XIII.

**C**V M milites Maximi tyranni de Imperatoris aduentu, deq; eius apparatu bellico audiuisent, ne rumoris quidem auram ferre potuerunt, sed graui metu percussi, tyrannum uinctum in manus Imperatoris tradunt: qui quidem